

## HOMILIA XIX.

*Deipara Virgo, in utero suo Filium Dei concipiens, speculo pulchre comparatur: quam metaphoram variis animi conceptionibus locupletamus.*

Deum quidem optimum maximum creaturarum esse *speculum*, in quo illae ad vivum representantur; e contra vero creaturas *speculum* esse Creatoris, in quibus varia eius attributa effulgent, tum sacra eloquia, tum sancti Patres, ac profani auctores contestantur: Salomon quidem Verbum divinum vocat (*Sap. 7*): *Speculum sine macula Dei maiestatis*: in quo, ut ait ibidem Nicolaus de Lyra, *omnia relucent clarissime*. D. etiam Augustinus (*epist. 121*) dicit: *Deus est speculum voluntarium; et si vult, videtur, et si non vult, non videtur*; immo etiam cum iam videtur, licet aliquin tunc necesse sit Trinitatem personarum videri, quia Deus speculum est, velut triangulare, tribus hypostasis constans, adhuc tamen respectu creaturarum in eo relucentium, voluntarium speculum existit, celans, vel manifestans eas videtur se, prout sibi libet. Creaturas deinde specula etiam esse, in quibus multiplices Creatoris perfectiones elucent, his verbis edocuit magnus ille philosophus Trimegistus (*lib. 3. Pim. 1*): *Tota mundi conspiratio, et verum pulcherrimus ordo contemplandi Deum suggerit materiam. Est enim natura velut liber divinitate plenus, et speculum divinorum*. Sed melius illo d. Paulus (*Rom. 1*) dicens: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*: quasi diceret: sicut speculum aspicientes, quaecumque illud representat, intuentur; non secus creaturas contemplantes, Dei perfectiones, quae in illis velut in speculis representantur, conspiciunt. Haec d. Pauli doctrina edocti sancti Patres, illam variis modis illustrant. Divus enim Ambrosius (*com. in epist. ad Rom.*) inquit: *Ut Deus, qui natura invisibilis est, etiam visibilibus possit sciri, opus factum est ab eo, quod optime visibilitate sua manifestaret*: et Theophilus Antiochenus (*lib. 1. ad Autliol.*) in idem argumentum ait: *Propterea Deus universa, cum non foret, creavit, ut ex operibus suis, quam magnas, quam excelsas sit, homini innotesceret*. Ac tandem Hugo de sancto Victore (*lib. 7*) eruditè satis id ipsum in haec verba edocuit: *Verbum bonum, et vita sapiens, quae mundum fecit, contemplato mundo conspiciuntur, et Verbum ipsum videri non potuit, et fecit, quod videri potuit, et visum est, per id quod fecit*. Hinc ergo est, quod cum nemine dissentiente Deipara Maria inter puras creaturas omnium excellentissima censetur, necesse sit inter omnia creata specula perfectissimum omnium esse, atque adeo in illa, velut splendidissimo speculo, invisibilia Dei clarius cognosci, meliusque penetrari: nam si effectus ducit nos in cognitionem causae, consequens est, ut perfectissimum omnium effectus in perfectiorem illius supremæ causæ cognitionem nos ducat.

Ceterum antequam id praestemus, oportet, operculum fulgentissimum hoc speculum operiens, et celans, prius amoveamus: hoc enim ipsa nos facere monuit, dicens (*Cant. 1*): *Nigra sum, sed formosa, filiae Ierusalem; sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*: quasi dical, lamelsi ex eo quod de peccatoribus orta sim parentibus, originalis maculae nigredinem contraxisse vobis videar, revera *speculum* sum sine macula, mira formositate, et decore praestans. Favent huic interpretationi sequentia verba: *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*, in quibus allusio fit ad antiqua illa militum tentoria, et ad ferculum Salomonis, quae licet extrinsecus, et secundum externam superficiem deformia viderentur, utpote ex humili tela, et animalium pellibus coeperta, intrinsecus tamen deaurata, variisque ornamentis decorata erant. Atque hinc est, illud inveniri singulare discrimen inter hoc Marianum speculum, et reliqua alia, quod illa non semper luce fuerunt perfusa, nec semper macula caruerunt, cum ut minimum originali labe fuerit deturpata; Mariae autem speculum semper divinae gratiae candore, et clarissima luce effulsit; nusquam alicuius maculae naevo fuit obscuratum; immo nec minima peccati venialis nebula, a qua nemo immunem vitam agit, iuxta d. Iacobi sententiam, obscurari potuit, propter insigne impeccabilis domum, quod tantus Filius tantae Matrì negare non debuit. Nunc iam pro modulo nostro Marianam huius speculi raram, ac inauditam perfectionem contemplemur.

Experientia ipsa docet, *speculum* ex duplici materia coalescere, plumbo scilicet, et vitro, aut crystallo; horum compositum in hoc sacro speculo singulari ratione reperitur: adest lucidissimus, atque clarissimus virginitalis crystallus, iuxta illud Sapientiae (c. 4): *O quam pulchra est casta generatio cum claritate*: adest et humilitatis plumbum per colorem cinereum redolentem, egregie delineatae, iuxta illud (*Gen. 18*): *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, et cinis*: sicut autem crystallus quantumvis splendidissimus, absque consortio plumbi non posset speculi munia gerere, sic nec Mariae, quantumvis in ea virginitas fulgeret, si humilitas ei defuisset, Dei Matris munus minime exercuisset. Unde Hugo de s. Victore (*dixit de concinet. Virg. et humil.*) p. et eruditè dicit: *O Virginitas, et humilitas, quando in unum convenistis? quid fecistis? sic sublimastis humilem, sic foecundastis Virgineam, ut Virgo Dei pariat Filium, et humilis habeat Sponsum Deum*. Illud quidem discrimen interesse observavi inter parvum, et magnam speculum, quod parvum figuram refert parvam, magnam magnam: quaelibet creatura, faeolor, speculum quoddam Dei est; tamen, quia parvum, curte satis, ac dimiute magnitudinem Dei refert; beata autem Virgo, quia speculum, non quantitate molis, sed perfectionis omnium creaturarum maximum erat, magna, immo et maxima de Deo referebat; unde merito ipsa dicit: *Magnificat anima mea Dominum; cum certe creaturam magnificare Creatorem, nihil aliud sit, quam magna eius ad vivum in se referre, eaque ont-*

nibus propalare. Deinde sicut speculum recipit in se imaginem, seu figuram eius, qui fecit illud, ita b. Virgo in se recepit enim, qui creavit illam, ipsa dicente: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo*: etenim cum beatissima Virgo esset speculum tersum, polillum, ac omnium splendidissimum, aeternus Pater dignatus est illud intueri, atque in eo imprimere figuram, et imaginem suam, hoc est, Filium suum, ut Apostolus (*ad Hebr. 1*) loquitur: *Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius*; sicut autem figura in speculo representata, speculi colorem induit, adeo ut si speculi vitrum rubicundum sit, rubicundam referat figuram; non secus, quia Marianum speculum rubicundum erat, utpote carne, et sanguine constans, inde est, ut figura, et imago, quam aeternus Pater illud aspiciens in eo impressit, rubicundum carnis colorem, immo et ipsam carnis substantiam ab eo mutaret, Ioanne dicente (c. 1): *Et Verbum caro factum est*: unde qui apud Patrem solum erat candidus, ut loquitur Sapiens (*Sap. 7*): *Candor est lucis aeternae*, iam apud Matrem candidus, et rubicundus invenitur, ut loquitur Sponsa (*Cant. 5*): *Dilectus meus candidus, et rubicundus*. Item sicut fabricator speculi, quantumcumque maguae molis sit, totam tamen, ac integram suam imaginem in eo conspici; ita, licet Deus huius Mariani speculi fabricator immense magnitudinis esset, totum tamen se intra virginie thalami claustra se recepit: unde Isaias spiritu propheticò id videns, congratulatus fuit Virgini dicens (*Isai. 12*): *Ecce, et lauda habitatio Sion, quae speculum seu speculatio interpretatur, quia magnus in medio tui sanctus Israel*. Rursus, sicut speculum, nisi sit purum, et clarum, non potest aspiciens in illud, suam in eo imaginem, et figuram imprimere, ita Deus Pater minime suam figuram, hoc est, Filium, qui imago expressa eius est, in hoc Mariano speculo imprimeret, nisi esset omnis sordis expertus, ab omni macula alienum, et plusquam angelica puritate conspicium. Experientia quidem compertum est, absque igne haec industria ignem accendi; si enim sumas speculum purum, et splendidum, et solaribus radiis illud exponas iuxta materiam dispositam, continuo ex reflexione, et reverberatione radiorum solarium in speculo facta, ignis generatur; ad eundem modum Deus *Sol iustitiae* ignitos focundantes virtutis suae radios in Marianum speculum mittens, continuo inde virtute speculi, et radiorum solarium accensus fuit ignis, hoc est, genitus fuit in tempore Dei Filius, qui ignis consumens est: unde ipse dixit (*Matth. 12*): *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?* Ad haec sicut radius solaris ingreditur, et egreditur speculum absque ulla integritatis speculi violatione, ita Christus Dominus per conceptionem uterum Virginis ingrediens, et ab eo per partum instar radii solaris egrediens, virginiae matris suae integritatem non laesit, non laefactavit, non minuit, sed servavit, ac rutilantem magis, et splendidiorem reddidit. Hinc eleganter d. Augustinus huius speculi metaphoræ non immerito (*serm. de Nativ. Dom.*) di-

xit: *Solis radius speculum penetrat, et soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit; et talis videtur intrinsecus, qualis est extrinsecus: itaque nec cum ingreditur, illud dissipat: quia ingressus, et egressus eius speculum integrum preverat. Speculum ergo non rumpit radius solis, et integritatem Virginis ingressus, et egressus vitare potuit divinitatis? Illud etiam mirabile contemplari licet in hoc Mariano speculo, quod cum aliquin specula illa imperfecta esse censentur, quae vultus magnos sibi obiectos parvos referant, magnam tamen huius speculi perfectionem indicat, quod sive homines, sive angeli in illud se intueantur, omnes illos parvos, et exiguos in oculis suis reddit, quia Mariae celsitudinem, et sanctitatis eius magnitudinem contemplantur quasi non sint, sic sunt coram ea, et tamquam nihilum, et inane in comparatione tantae Matris se reputant. Sed quid mirum, quod Marianum speculum aspicientes in se creaturas exiguas, ac parvulas reddat, cum Deum ipsum tanta magnitudine praeditum, et coelum, et terram sua immensitate repleat, ipso dicente (*Jerem. 23*): *Coelum, et terram ego impleo, ita ipsa abbreviaverit, et ad parvam quantitatem reduxerit, ut Isaias diceret: Parvulus natus est nobis; et quod mirabilis adhuc est, ipse minimo vermiculo se compararet (2. Reg. 33): Tamquam tenerissimus ligni vermiculus; et alibi (Psal. 21): Vermis sum, et non homo?**

Quid plura? nisi ut pulchram hanc speculi similitudinem ad mores iam convertam: Maria certe instar fulgentissimè speculi nobis esse debet, quia sicut speculum maculas, ac deformitates eorum, qui in illo se intuentur, manifestate delegit, et ut illas abstergant, tacite suadet; ita superbi respicientes se in hoc humilitatis speculo, elationis suae maculas abiecit: avari singulare hoc paupertatis speculum contemplantur, cupiditatem, quae radix est omnium malorum, extinguunt; libidinis aestu ardentis purissimum hoc castitatis speculum ante oculos sibi proponentes, miro castimoniae amores concipiunt. Ude d. Ambrosius (*lib. 2. de Virg.*) eleganter dixit: *Sit vobis tamquam in imagine descripta virginis, vitaeque Mariae, in qua, velut in speculo, refulget species castitatis, et forma virtutis*. Certe sicut omni sapientiae praesens Minerua foedum buccarum tumorem nunquam deposuisset, nisi deformitatem vultus in liquidis umbris Meandri, tamquam in speculo, animadvertisset; vidi enim tibias, abiecit, et tumor recessit; sic sane nisi pernitulit fidelium ad speculum hoc Marianum aspexissent, nunquam irregularem vitae suae rationem, et suos mores composuissent. Adamussim hoc figuratum reperio Exodi 37. ubi lego Moysen fecisse concham quandam super basin positam variis mulierum speculis circumornatam, ut sacerdotis in illis se aspicientes, maculas abluerent: verba Moysis sunt haec: *Missa aqua lavabunt in ea Aaron, et filii eius manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, et quando accessuri sunt ad altare: ubi obiter observo, quod Theodoretus scribit, inter ceteras aegyptiacas superstitiones hanc unam fuisse,*

quod mulieres precaturae, et sacra operaturae, stolis lineis amictae, dextra sinistram, sinistra speculum teneant: haec specula mitio accepta Israelitidis in desertum asportasse, et partim de illis, partim de propriis Moysi in aethiopia obtulisse. Placuit idem b. Cyrillo Alexandrino, et Procopio Gazaco, dicentibus, ipsas in Aegypto Hebraeas hac superstitione imbutas. Nihil dubito propria his mulierulis specula fuisse, non superstitionis tantum, sed ornatus quoque gratia: vel cetero genem, ubi non huic sexui deliciae speculares? mulieres se non putarent, si speculis carerent. Nomen et Isaias in mundo muliebri illa recenset? Quemadmodum ergo in evangelica historia legitur de poenitentiae peccatrice, quibus Deum offenderat, unguentis, manibus, labris, cornea, nihil non eorum Salvatori nostro impendisse: sciat etiam a Gentiliis pugilibus cestum pondera, a venatoribus plagiarum, et cassidem involuera, a gladiatoribus sanguine, ac tabe maculosa tela, a prostibulariis crotala, tympana, et, ut de Laide legitur, speculum Veneri, Herculi, Dianae, Polluci, Pseudotheis, ad fauorum postes affigebatur: si hebraeae mulieres, quae dissolute vivere desiderabant, in deserto cum essent, pristinae vanitatis, et in comendo, moliendoque curiositatis perlaesae, ipsa solitudine, peregrinatione, labore, tribulatione, ut fit, pietatem edoctae, in testimonium poenitentiae, quae fuerant mundi, et carnis arma, relictae militiae, seu militiae instrumenta, pro tabernaculi ornamento Deo optimo maximo dedicantur: nam non omnes hoc promissae mulieres factitauerunt, sed quae ad tabernaculi ostia excubabant, nimirum selectae, et addictae, si non voto, sponte saltem, et voluntatis ardore; h. Virgo nobis tamquam splendidissimum speculum proposita est, ut maculas nostras agnoscentes, nos ipsos vere cognoscamus, et per hanc nostri cognitionem ad Dei notitiam ascendamus: qui enim se novit creaturam, nescire nequit aliquid esse Creatorem; qui se scit servum, ignorare non potest habere se Dominum; qui novit se aliquando non fuisse, hanc non latet esse alium per quem factum, ut qui non erat, existeret; qui callet, se propriis viribus subsistere non posse, non potest non suspicere alium, a quo conservatur: hinc timor, hinc amor, hinc fides, hinc spes, ceteraque virtutes pullulant: ecce quot bona pariat unica notitia sui. Ideo seraphicus noster sanctus pater Franciscus quam contempletor mundanae, et brevis voluptatis, tam studiosus divinae, et aeternae sapientiae, hoc unum per totam noctem orabat: *Norim me, norim te, Domine: ideo etiam magnus Antonius, monachorum pater, scripsit: Quicumque cognoverit semetipsum, cognoscat dispensationem proprii conditoris, vel quaecumque facit in propriis creaturis: ideo etiam et Gregorius theologus monuit:*

Te noscas, et quae tibi sit coelestis origo,  
Sic facilis venies ad deum archetypum;

ideo et nationes quoque in coeco gentilitatis nubilo caligantes, ut sui notitiam adipiscerentur, illud Chilonis Spartani, sive Solonis At-

tici, ut auctor est Anonius in Indo septem sapientium: *Nosce te ipsum, non tantum delphicae columnae inscripserunt, sed ut coelestis delapsam vocem summa veneratione colerant. Et quia speculi usus ad sui notitiam singularis est, idcirco Socrates, teste Apollonio (lib. de Do.), discipulis consulebat, se quaelibet ad speculum orare, ut, si formosi apparenter, formam faciei pulchritudine morum vincerent, si deformes, labem hanc vultus noxamque animae formositate abolerent: nec minus aude Avicenna, quibus os distortum erat, iubebat frequentius in speculum inspicere, ut oris ignominiam verborum honestate tegere niterentur.*

Ad extremum quemadmodum speculum imagines omnium in illo se aspicientium, sive parvi, sive magni, sive nobiles, sive ignobiles, sive iusti, sive peccatores, facile recipit; sic b. Virgo omnes ad se confugientes intra viscera sua materno affectu suscipit: nam si d. Paulus (ad Rom. 1) charitate flagrans dicebat: *Graecis, et barbaris, sapientibus; et insipientibus debitor sum: et alibi (1. Cor. 9): Omnibus omnia factus sum: manifestum est heatam Virginem ob excellentissimam suam charitatem, omnes, eius auxilium implorantes, benevole suscepit, ut in hoc saeculo, et in futuro Isam benedictum fructum ventris sui illis ostendat, cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

#### HOMLIA XX.

*Quae latent arcaea in discessu angeli a Virgine, panduntur, in illa verba: et discessit ab illa angelus.*

Aeternum Patrem missurum ad b. Virginem angelicum paranymphum, ad Verbi divini cum natura humana celebranda connubia, contempletor dixisse verba illa Canticum (c. 4): *Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius; quae ut melius intelligatur, observandum est, sub metaphoris duorum ventorum, aquilonis, et austri, duos significari angelos, Luciferum, et Gabrielem, hanc interventorem salutis, illum mediatorem perditionis. Aple autem nomine ventorum significantur hi angeli propter miram eorum velocitatem, unde David ait (Psal. 103): *Qui facit angelos suos spiritus: id est, veloces nuntios. Lucifer quidem aquilonis nomine nuncupatur, quia in lateribus aquilonis apud Isaiam se sessurum gloriabatur: certe quando perflavit, ventum emittit aquilonem, hoc est, infectum, et pestilentem, quia dictum est, quod ab aquilone pandetur omne malum: Gabriel vero et contra, cum ante Deum adset, et ab eo mittatur, de quo Abacuch propheta dixit: *Deus ab austro veniet, austerino spiravit flatu, unde dicens Deus: Surge aquilo, surgere compulsi Luciferum et mundo: Nunc princeps huius mundi eicietur foras: Gabrieli vero dicit: *Veni auster, et verbis salutatoris perfla hortum Marianum, sufflavit quidem illi aede benevole, ut ad hunc flatum, Spiritu sancto in eam superveniente, coeperint varia illius conclusi horti fluere ar-****

mata, inquam, eximiae prudentiae: *quomodo fiet istud; aromata insignis pudicitiae, et sanctimoniae: Quoniam virum non cognosco; aromata tandem profundae humilitatis, et promissimae obedientiae: Ecce ancilla Domini: fat mihi secundum verbum tuum: quibus Deo odoriferam adeo se praebuit, ut Filius Dei tanti odoris suavolemtia allectus, de sinu Patris in uterum eius descendere non dubitaverit. Refert historia scholastica ex antiquissimis doctoribus, Israelitis sub tyrannica Pharaonis servitute misere degentibus, filios eorum, cum primum nascebantur, crudeliter ab Aegyptiis interficere; quare quidam eorum ab uxoribus se abstinebant, ne filios progenerent, qui sua nece gravem eis dolorem inferrent; uxores autem eorum, in fide quidem firmiores, credentes verum Messiam esse hebraea foemina nasciturum, varia specula acceperunt, quae postea in templo dicata fuere, ut se ad intutum illorum componentes, et muliebri mundo ornantes, maritos ad habendam ex eis prolem vehementius allicerent: placuit id mirum in modum Deo propter pium finem, et scopum quem in eo ornatu sibi praefixerat. Non dissimiliter cum b. Virgo naturam humanam observasset execrabilem factam Deo, omnesque Adae filios a daemone in conceptu enecari, et paucis labentibus annis multis postea sordibus commaculati, adeo ut ipse Dominus diceret (Gen. 6): *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est: quibus verbis videbatur sane se separare, longaque se sequestrare a natura humana; at b. Virgo divino zelo accensa, ut haec tanto malo mederetur, tot spiritualibus monilibus, et ornamentis, divina gratia adjuvante, se condecoravit, ut Spiritus sanctus eius amore captus, non solum eam in dilectissimum eius sponsam sibi assumeret, sed mirifice adeo foecundaret, ut divino eius spiramine afflata, quem Deus ab aeterno Filium genuit, eundem et ipsa in utero suo conceperit. Tradit autem sacer evangelista, conceptum iam Christo, continuo angelum discessisse; ex quo colligo discrimen observatione dignum inter rubum illud Moysi ardentem, et Deiparam adumbrantem, et ipsam b. Virginem Filium Dei utero suo continentem: in rubo enim ardenti angelus aderat, et ab eo, dum ardebat, non discedebat; ab hoc vero Mariano rubo, divinitus praesentia ardente ob temporalem Filii Dei conceptionem, continuo angelus aufragit, evangelista dicente: *Et discessit ab illa angelus: in quorum verborum commentario, quae seraphicus noster sanctus d. Bonaventura (sup. c. 1. Luc.) sapienter scripsit, non gravabor hic adnectere: Discessit ab illa angelus, sic enim ostendebat factum, quod Raphael Tobiae dicebat verbo: tempus est Virgo, ut revertat ad eum, qui me misit. Et de Petro dicitur, quod ipso educto de carcere, continuo discessit angelus ab eo. Ab ea angelus discessit, sed in ea remansit Dei Filius; discessit quantum ad apparentiam, sed remanserunt multi quantum ad custodiam. En lectum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Isti sunt angeli beatissimi, qui custodiebant eam tamquam locum divinae habitationis electissimum: unde etsi beneficium custo-***

*diae sibi impenderent propter infirmitatem carnis, cultus tamen reverentiae exhibebant propter dignitatem matris, et sic quodammodo per ipsam ascendebant, et descendebant. Unde desigata fuit per illam scalam, cui Dominus erat innixus, et angeli per illam ascendebant, et descendebant, quam vidit Iacob; et postea sequitur: Non est hic alius, nisi domus Dei, et porta coeli; quia nullus potest iam coelum intrare, nisi per Mariam transeat, tamquam per portam: sicut enim Deus ad nos venit per ipsam, ita per ipsam nos oportet redire ad Deum. Et ideo dicitur domus, porta, et scala: domus propter Christi conceptionem, porta propter Christi partum, et scala propter ascensum ad Deum. Non ergo discedam ab ea, sed eius pedibus proculi semper etiam salutenus; haeculus d. Bonaventura. Sed nunc causas angelici discessus, et sacramenta, quae in eo latent, aperiamus: sane sicut ille cum missum sibi ministerium sedulo pervigisset, ita suo discessu rem, ob quam advenerat, praeterea esse ostendit. Verum quam magis absconditum huius discessionis causam tradit d. Athanasius (ser. de Deip.), nimirum angelum discessisse, ne quis haereticus putaret ipsam angelum carnem illam assumpsisse, et non Verbum Dei, contra id quod dicitur apud Isaiam (secundum editionem 70): *Non tegulus, neque angelus, sed ipse Dominus saltebit eos; quasi dicat, quod non angelus, qui nuntiavit Mariae in incarnatione Filii Dei, carnem assumpsit in utero Virginis, sed ipse Dei Filius, qui solus poterat salvare nos, quemadmodum communiter explicant s. Patres, et inter eos d. Augustinus (tract. 24. sup. Ioan.). Sed et aliam causam discessus angeli meditari possumus, quae maxime commendat singularem dignitatem Mariae Virginis post conceptionem Christi. Est autem huiusmodi. Archangelus Gabriel, ut opinor, ille est, cui commissa est specialis cura serviendi beatissimae Virginis, non solum post ascensionem Christi, ut docet divus Idelphonus (ser. 3. de Assump. Mar.), sed etiam ab initio suae nativitatis, ut credit d. Bernardus (epist. 77. ad Hug.); cuius rei haec potest esse ratio: quia, ut d. Thomas docet (1. par. quaest. 113. art. 3. ad 1), est satis probabile, quod maiores angeli deputantur ad custodiam illorum, qui sunt ad maiorem gradum gloriae a Deo electi: cumque beatissima Virgo electa sit a Deo inter omnes puras creaturas ad summum gradum gratiae, et gloriae, et ut esset mater Filii Dei, consequens profecto est, ut eius custodia summo archangelo, qualis est Gabriel, commissa a Deo fuerit. Alque in huius veritatis confirmationem veniunt explicanda verba illa angeli Gabrieli ad Ioan. Evang. volentem illum adorare (Apoc. 19): *Ne feceris, concersus tuus sum. Scio quidem quosdam doctores dicere concersum ab angelo Ioanem appellatum propter insigne virginitalis, et angelicae puritatis, quo ille mirifice fulgebat: nec etiam me latet doctores alios putasse, id dixisse angelum ad dignitatem sacerdotalem attendens, quia Ioannes erat insignitus; ac tandem lego etiam doctores alios asserentes, eapropter angelum non permisisse a Ioanne se adorari, quia cum Deus homo factus esset, non au-***

gelus, quamdam inde mutare coepat dignitatem super angelum, licet aliquin ante incarnationem frequenter angeli ab hominibus se adorari sinerent, mihi autem haud difficulter persuadeo, angelum conservum Ioannis se vocasse: *ne feceris: conservus tuus sum*, quia in ministerium custodiendi Virginem, et ei inseriendi ambo a Deo erant deputati. Post conceptionem ergo Filii Dei in virgine utero discessit a Virgine angelus Gabriel, non tantum ut erat nuntius Dei, sed etiam, quod satis probabile arbitror, ut erat custos ipsius Virginis. Vidit enim eam in tantam altitudinem dignitatis devenisse, ut iam inciperet esse Mater Dei, et habere in utero virginali Filium summi Patris, indutum carne humana; atque adeo plane intellexit, nullo modo indigere custodia angeli, quae mater erat regis angelorum: ait enim d.Thomas (*in illa qu. 113*), quod quamdiu pueri sunt in utero matris, non indigent custodia proprii angeli, sed angelus, qui est custos matris, custodit etiam prolem in eius utero existentem, eo quod non est totaliter ab ea separata, sed quodammodo adhuc est aliquid ipsius: quemadmodum idem custos est, qui arborem custodit, et fructum, qui ab ea pendet: in hac autem mirabili conceptione Christi in utero Virginis et converso se res habere debuit, quod mater sequitur conditionem, et proprium statum filii, quem habet in utero; Filius autem Virginis non poterat habere angelum custodem, ut d.Thomas docet (*eodem quaest.art.4*); primo, quia secundum quod homo, regulabatur immediate, et custodiebatur a Verbo divino; secundo, quia quantum ad animam erat beatus, et comprehensor, et consequenter non habebat angelum tamquam custodem, sed tamquam ministrum inferiorem, qui ei inserviret. Idem ergo Verbum divinum, quod

custodiebat, et dirigebat Christum filium Mariae Virginis, erat etiam custos suae integerrimae Matris, iuxta illud Isaiae (c. 37): *Ego Dominus, qui nocte, et die servo eam*.

Ceterum, quae verba angelus Mariae iterum in discessu ab ea salutatns usurpaverit, relicent evangelistae; potuisset tamen iure optimo verba illa Davidis sibi usurpasse (*Psal. 120*): *Dominus custodiat te, Dominus protectio tua: Dominus custodiat te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus: Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum*. Illud tamen tamquam omnino certum puto, angelum discedentem a Virgine maiorem ei reverentiam exhibuisse, quam cum ad eam salutandam eius domunculam ingressus est, quia tunc tantum ad futurae Dei Matris dignitatem electa, nunc vero iam post Christi conceptionem in eius possessione constituta erat, et ideo excellentiori hyperduliae adoratione tamquam veram Dei Genitricem coluit.

Ad extremum silentio non praeteribo eorum interrogationem facere satis, qui quaerunt, quare cum mysterium incarnationis celebratum fuerit post prolata Virginis verba (*Luc.1*): *Ece ancilla Domini*; atque adeo ante discessum angeli ab ea, ut docent Irenaeus (*lib.3.c.3. et lib. 15*), Tertullianus (*lib.de car.Chris.*), s. Athanasius (*ser.de.Deip.*), et d. Damascenus (*l.de.Spir. S.*), quare, inquam, evangelista Christum Dominum fuisse iam conceptum in utero Virginis taciturnus praeteriit. Respondeo mihi videri non praeteriisse; nam cum angelus dixisset: *Ece concipies, et paries*; certe dum b.Virgo ei consentiens respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, satis utique evangelista id recensens, factam fuisse iam Christi conceptionem edixit. Qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## DE SACRIS ARCANIS

# VISITATIONIS B. VIRGINIS

AC DE CELEBERRIMO, QUOD IN ILLA CECINIT, CANTICO

## LIBER SEXTUS

### HOMILIA PRIMA.

*Veteris testamenti arcae domum Obedom visitantis egregiam figuram, Marianam visitationem adumbrantem, adducimus; prius tamen difficultates, quae circa eius historiam occurrunt, enodamus, in illa verba: Exurgens Maria abiit in montana, cum reliquis Mariae visitationem enarrantibus.*

Magnus Gregorius (*in 6. par. homil. in epist. vir.Visit.*) excellentiam divinorum arcanorum, quae in Marianam visitationem simul conflunt, admirans, in haec verba prorupit: *Quod illae honestissimae matronae plenae fide, et Spiritu sancto conveniunt, et multis testimoniis datis, et acceptis ad invicem declarant Messiam praesentem, et exhibitum, et esse hunc Iesum filium Virginis recens iam conceptum, cui infans in utero Elisabeth exiit gaudio inusitato et praeternaturali, illa tanta sunt, et tantorum testificatio, ac confirmatio, ut in tota aeternitate celebrari satis, et exauriri cogitatione, et sapientia omnium creaturarum nequeant*. Nos tamen his non dissentientes, si non pro dignitate, pro viribus tantae, divina gratia nobis optulante, multifariam, multisque modis Mariae visitationem illustrare, eiusque arcanae aperire conabimur: prius tamen dubia nonnulla, quae eius historiam concernunt, breviter dissolvemus. Omnes quidem doctores unanimi consensu fatentur, b.Virginem profectam fuisse ex oppido Nazareth, provinciae Galilaeae, ut clare colligitur (*ex cap.1. Lucae*); doctores tamen opinionum diversitate agitantur circa tempus, quo coepit iter facere, et an Ioseph eius sponsa associata perrexerit; et an pedestris, an equestris iverit; et quanam civilis illa fuerit, ubi erat domus Zachariae, ad quam b.Virgo divertit; ac tandem an recesserit ab illa in partum Elisabeth, an post illum; haec omnia

oportet prius elucidemus, atqueam sacerrimae huius visitationis recondita sacramenta reserare aggrediamur. Ad primum ergo accedentes, d. Ambrosius (*sup.c.1.Luc.*), Beda (*in c.1. Lucae*), Origenes (*sup.c.1.Luc.*), et Theophylactus (*super cap.1. Lucae*), docent, beatam Virginem eodem die paulo post angelicam salutationem iter arripuisse in domum Zachariae: ego tamen ex evangelica lectione verosimilius esse colligo, beatam Virginem non fuisse profectam in ipso die angelicae salutationis, sed transactis paucis aliquot diebus: sacer enim evangelista ait (*Lucae 1*): *Exurgens autem Maria in diebus illis: non dixit, in illa die, quod aliquin diceret, si in eadem die discessisset*. Ratio etiam eidem optulatur, quia cum iter illud longum adeo esset, ut Brochardus, et auctor historiae ecclesiae, septuaginta miliarium longitudinem ei assignent, consequens est beatam Virginem praeparatione aliquorum dierum indiguisse ad necessaria pro longo itinere praevenienda, et ut domus suae curam alteri commendaret. An autem pedestris se contulerit, doctores silentio praetererunt; forsitan tamquam rem exploratam relinquentes teneram aliquin virginem, et itineribus minime assuetam, non pedestrem, sed alicui humili ego insidentem, instar Christi Domini, qui super pulum asinae insidens in die palmarum ingressus est Ierusalem. An autem b.Virginem in hoc itinere comitatus fuerit sponsus eius Ioseph, licet multi refragentur, s. tamen Bonaventura (*lib. de vita Christi*) comitem illius fuisse, his verbis clare edocuit: *O qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in qua, et in quo commorantur, et requiescent tales matres, talibus filiis foecundatae: Maria, et Elisabeth, Iesus, et Ioannes: sunt autem tibi magnifici senes, Ioseph, et Zacharias! Quid quaso incunctitatis defuit sancto Ioseph, sive dum novam coniugem in itinere constatit, sive dum in obsequio Elisabeth demoratur; haec ille. Eidem opinioni adhaesit firmissime Isidorus de Insulanis (*lib.de vita s.Iosephi*), anti-*